

Observationes

In Vitam S. Heimeradi.

Hartvrigus, cui Acta B. Heimeradi nuncupat *Egbertus*, vigelimus secundus à S. Lullo Abbas *Herveldensi* prae fuit Archisterio, *Ruothardo* Abbati XXI, anno *MLXXII* 3 Idus Decembris ultrò abdicanti proterius successor datus, ceu tradit *Lambertus Monachus Herveldensis*, vulgò *Schafnaburgensis* dictus, qui annales suos à 7. *Lipſia* laudatos ad annum usq; 1077 electionemq; *Rudolfi* Regis produxit, atque cum hoc *Egberto* sub communi Abbate *Hartvigo Herveldia* vixit. Post *Egbertum*, primum Vitæ B. Heimeradi scriptorem, nunc primû è MS. codice *Bodicensi* erutum, ejusdem Sancti Acta versibus etiam descripsit *Erinherus*, laudatus ab *Horſione* in *Panegyrico Paderbornensi*. *Brouverus* Scholijs in *Meinvercum*, num. 70 pag. 218 testatur Vitam B. Heimeradi extare *MStam* in Collegio Soc. Jesu *Paderbornensi*. *Daniel Papebrochius* S. J. in comment. ad vitam S. *Hildegundis virginis Cistertien.* a. d. XX Aprilis n. 3. laudat illustrem codicem MS. qui Collegij *Paderbornensis* quondam fuerit, contineatq; , præter alia Sanctorum Acta, Vitam devoti presbyteri Heimeradi in *Hasingun*. Num. verò idem is sit MS. codex, quo *Horſion* est usus, quemq; vidit *Brouverus*, id equidem ignoro.

Num. VII. *Herveldensis* Abbas *Arnoldus*.] Is anno 1012 successit S. *Godehardo*, qui senio & labore
jam